



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. An actio vt sic distinguatur ab age[n]te, passo, & termino?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

LIBER QUINTVS

D E

Actione productiua corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De actione productiua Corporis naturalis Secundum rationem communem actionis

CAPVT PRIMVM.

An actio ut sic distinguatur ab agente, passo, & termino?



COMMUNIOR, & verior sententia est, distinguere ea distinctione, quæ realis modalis, siue modi à re appellari consuevit: quam D. Thomas, Scotus, Durandus, Aureolus, Baconius, Argentinas, Venetus, Suarez, Valquez, Molina, & extra scholam Nominalem ferme omnes sequuntur: eam in hunc modum suadeo: potest dari hoc agens, hoc passum, & hic terminus quin hic terminus ab hoc agente generetur; igitur actio generatiua à triplici illo conceptu realiter distinguitur: cum ergo non tanquam res à re aliâ sine fine abiremus, certe tanquam modus à triplici illo conceptu distinguere debet: consequentia perspicua est, quia separabilitas realis, realis distinctionis infallibilis index est: antecedens verò probatur, quia Danielis 3. cap. cum tres iuvenes Hebræi in ardentem fornacem, Barbari Regis iussu, coniecti essent, & inter medios flammæ globos nil ab igne paterentur; in eo certe euentu reperiebatur hic ignis, hoc passum applicatum, & hic natiuus calor, qui certe ab igne illo Babilonico proficisci potest, & tamen calor ille non ab igne, sed ab intrinseco productus est.

Respondent primò nonnulli Thomistæ, actionem non esse hoc agens, hunc terminum, passumve vtrumque, sed hunc terminum prout ab hoc agente, passumque efficientem & hoc agens prout in hunc terminum influens. Verum in iis præpositionibus *ab*, & *in* fallit modus actionis, quem intendimus, vt superiori argumento virgeri potest. Respondent secundo Nominales, actionem consistere in agente, termino, passo, & voluntate Dei efficaci, quia decernit, vt hic terminus dependenter ab hoc passo, ab hoc agente producatur. Verum hæc solutio in simili supra impugnata est, cum de vnione ageremus: intelligibile enim prorsus est, eequid eius voluntatis obiectum sit, nisi ipsa sui obiectum sit: quod ad explicandam actionem futile quidem est.

Secundò, quod voluntas verbi gratia producat actum amoris, ei formaliter liberum est; at quod Deus cum actum velit, aut non velit, non ei, sed soli Deo liberum est: ergo productio amoris in voluntate Dei sita esse nequit. Tertiò

(& paulò aliter) actio quatenus ab agente distinguitur, & media ea agens operatur, ab agente produci debet; aliâ qua ratione per eam agens terminum producere poterit: haud secus ac vna causa media aliâ à se distincta producere aliquem effectum nequit, quin causam ipsam producat: at agens creatum volitionem Dei producere nequit: ergo media illa nil aliud producere potest. Quarta, & recidit in idem, actio productiua amoris, qua voluntas in eum liberè influit, aut in volitione Dei efficaci, aut inefficaci consistit: neutrum dici potest: ergo: non primum, quia aliâ actio illa libera esse non posset, sed potius determinata ad vnum: non secundum, quia potest dari hæc voluntas Petri verbi gratia hic amor, & hæc volitio Dei inefficax, quin hic amor (si quod probabile est, & pro nunc supponi potest, & debet) qualitas sit, quin à Petro producatur, vel quia à solo Deo producitur, vel certe quia à Paulo producitur: igitur hoc, quod est, hunc amorem ab arbitrio Petri produci, in eius arbitrio, & ipso amore, ac volitione inefficaci Dei consistere nequit.

Quod de actione generatiua hætenus ostensum est, idem de actione creatiua, conseruatiua, omnique aliâ causalitate cuiuscumque causæ superiori argumento ostendi potest. Quæ verò in contrarium opponunt Ochamus, Gabriel, Gregorius Ariminensis, nostræque Gregorius 1. part. q. 2. punct. 1. in simili soluta sunt, cum de vnione ageremus.

CAPVT II.

An actio terminum naturæ anteuertat?

NON nulli recentiores, quibus multum defero, contra communem antiquorum sententiam sentiunt, actionem non esse priorem naturæ termino, sed se habere omnino concomitanter cum illo. Quorum primum fundamentum est, quia munus actionis est determinare indifferentiam potentie ad hunc actum, etiam in sensu composito ipsius potentie, & actus, vt capite præcedenti explicuimus: at hoc munus exercere potest actio absque vlla antecessione naturæ: igitur actio eiusmodi antecessione minime efflagitat, cum ad suum munus exercendum minime necessarius sit. Minor, in qua est tota difficultas, suadetur